Stankowic Martini: Quaestio de quantitate continua.

Cracoviae in off. Valeriani Piatkowski
1645.

QVÆSTIO
DE
QVANTITATE CONTINVA.

A

M. MARTINO SŁONKOWIC
Collega Minore.

Publicè ad diſputandū in alma Academia Crac. in Lectorio
DD. THEOLOGORVM
propoſita.
Anno D. M. DC. XLV. Men. Iul. Die 27
hora IX
Permiſſu M. D. RECTORIS.

CRACOVIÆ,
In Officinâ Valeriani Piątkowski.

S.

S.

IN ARMA
Inclytæ Domus Zamoſcianæ.



TErna Sariſſa cauet ſocium diſrumpere fædus,
Nam tria ſunt, per quæ fama decuſq́; venit.
Doctrinam ſequitur Virtus, hæc nobilitatem
Extendens, proprio ſuſtinet in gremio.

Illustrissimo ac Magnifico Domino,

D. VENCESLAO

DE ZAMOŚCIE

ZAMOYSKI,

Castellano Leopoliensi, &c. &c.

Domino ac Patrono amplissimo.

CERTAMEN Philosophicum de infinita Continui diuisione, infinitis ferè plenum difficultatibus, in Nobilissimo Sarmatici Orbis Lycæo suscepturus, nō aliud mihi tutius eligendum putaui præsidium, quàm tres hastas Tuas Illustriss. D. in quibus transuersim sibi positis, præter illa fortitudinis, & gloriæ immortalis ornamenta, trinam continui dimensionem, quā antiqui per tres lineas ad angulos rectos se diuidentes describebant, ob eam procul dubio quam habet cum immortalitate coniunctionem, diuino quodam expressam cōsilio cernimus. Nec quidquam mihi affert formidinis, vetus illa Patrocli recordatio, qui impar viribus arma sumens Achillis, Ab Hectore fortissimo prostratus est: cum arma Tua Illustriss. D. sub quibus hanc cogito exercere velitationē, licet vires meas innumeris antecedant passibus, tantò magis se ipsa telis aduersis possint resistere, quantò maior illis cum continuo intercedit cognatio. Vt enim continuum trina extenditur dimensione, ita hæc terno gaudent numero: qui ternio tam firmo sociatur nexu, vt si rūpatur in vtrolibet perfectionem rumpi sit necesse. Nam quemadmodum prima dimēsio nequit subsistere sine altera, & hæc sine tertia, ita vt quælibet earū seorsim sumpta, mēte potiùs cōcipiatur quàm subsistat, simul autē positæ inuicē se terminando & sustentando perfectū reddūt solidū: ita in armis Domus Tuæ Illustriss: per nexum triū ha-

 starū, in eo

in eodem puncto se tangentium, tria hæc, Nobilitas, Doctrina & Virtus, quæ non nisi simul iuncta, verum decus & veram immortalitatẽ pariunt mortalibus, ad imitandum omnibus veræ honestatis cultoribus, & ad eam perfectionem quæ in hac vita haberi potest tendentibus proponuntur. Profectò non indignum est de Nobilitate, vt de alijs bonis gloriari: sed qui vltra, proprium sibi quærendo bonum, non progreditur, sed tantùm ad monumenta genusq́; suum confugit, & auorum recenset numerum, eò deterior est etiam vilißimo homine, quò ampliorem sibi præparatum laudis & gloriæ deserit campum. Non sufficit ortum esse claris Maioribus: ducenda est altera linea: mens optimis disciplinis, honestißimis studijs excolenda, & variâ multarum rerum notitiâ imbuenda. Sed hic ne est veræ perfectionis terminus? minimè: Sola inflat scientia, erigit tumidum caput, vt spica, quæ non grauatur fructu: ianua hæc potiùs est, in qua non standum, sed intima virtutis penetralia perscrutanda. Hæc demum vera est Nobilitas: hæc solida doctrina: hæc virtus immortalis, dum tres istæ Charites mutuo fœdere copulantur, & complexu tenentur indissolubili. Sed addit mihi maiorem adhuc animum ad hoc certamen ineundum, de Patrocinio Tuo, quod pro innata Tua humanitate nunquam denegas clientibus, firma persuasio: certè hoc si cum armis Tuis præstò fuerit, salua res erit: nam præsente Achille nullum periculum timendum. Nec est cur de Tuo singulari dubitem patrocinio: licet enim hoc promereri mea non poßint obsequia, non tamen ingrata Tibi potest esse sub Nomine Tuo amplißimo de continuo disputatio: cùm Tu etiam nihil habeas antiquius, quàm vt immortalem Maiorum Nobilißimorum gloriam, non in titulis solùm vt plerique solent, sed (quod maximè gloriosum est) in viua imagine præclarè gestorum Tuorum continues: quæ quidem non tam dici à me possunt in hoc breui proloquio, quàm patent omnibus, rationes vitæ Tuæ intuentibus, cuius magnã partem, imò totum ferè robustioris ætatis Curriculũ, in Patriæ defẽsione, maxima adeũdo pericula, cõ-

sum-

ſupſiſtit: patent in moru Tuorum conſpicuâ integritate, generoſâ animi celſitudine, cum admirabili prudentiâ, pariq; humanitate coniuncta: patent in hac Tua circa inſtitutionem Filij Nobiliſsimi Domini STEPHANI ZAMOYSKI, *ſollicita cura, in qua hoc ante omnia primum eſt, vt veſtigijs Tuis continuò inſiſtat, nec à virtutibus & dignitate Maiorum ſuorum deficiat. Faxit Deus Opt. Max. vt his omnibus bonis, quæ ſibi in Domo Tua inclyta quáſi proprium deſignârunt domicilium, abundes tam diu, quam diu continui, cui nunc patrocinaris dabitur diuiſio. Hoc ego ex intimis præcordijs tanquam Patrono ampliſsimo precor & voueo.*

Illuſtriſs: Dominationis Tuæ

humillimus Cliens

M. Martinus Slonkowic,

Coll: Min

QVÆSTIO

V. Continuum, vt ſit diuiſibile in infinitum, debeat habere partes infinitas: & indiuiſibilia tam terminatiua, quàm continuatiua, quæ quidem indiuiſibilia ſint entia poſitiua, à partibus realiter diſtincta, necne?

CONCLVSIO I.

Continuum eſt diuiſibile in infinitum: nõ actu ſed potentiâ, ſeu non Categorematicè ſed ſyncategorematicè.

COROLLARIA.

1. *Ea continui natura eſt, vt diuidendo abſolui non poſſit, alioqui conſtaret ex indiuiduis partibus; ſicqué continuum non eſſet.*

2. *Quam*

2. *Quamuis quodlibet continuum diuidatur in infinitum, non tamen potest sic augeri, et in infinitam molem accrescere: cùm accretio tendat ad formam, cuius est terminare; diuisio autem ad materiam, cui infinitas non repugnat.*

3. *Infinitas quę est in magnitudine, differt ab infinitate, quæ est in numero: quòd in numero sit additione, in magnitudine diuisione: et in numero licet deuenire ad vnitatem, quę insectilis est, nec numerus vltra dicitur; magnitudo versus minimum nullo clauditur termino.*

4. *Dum magnitudo diuiditur in partes infinitas, augetur numerus, qualibet earum nouam vnitatem aduehente: atq; sic infinitas numeri prouenit ex infinitate magnitudinis.*

5. *Porrò continuum quod diuidi potest in infinitum, precisè sumitur secundùm se; non prout est terminus corporis naturalis, quod est determinatum ad maximum et minimum.*

CONCLVSIO II.

IN continuo sunt partes infinitæ: quæ licèt actu componant totum continuum, cùm tamen non habeant esse separatim actu, nisi per esse totius; ideò dicuntur infinitæ in potentia. Partes autem hic intelligendæ, non quæ sunt æqualis quantitatis, quia

hæ

hæ ſunt finitæ, ſed quæ ſunt æqualis proportionis.

COROLLARIA.

1. *Partes continui cùm incipiunt eſſe actu; id eſt habere eſſe ſeparati à toto, deſinũt eſſe actu partes; nec amplius componunt totum. Unde ſeparatę ſunt finitę, ſeparabiles tendunt in infinitum.*

2. *Eſſe in potentia dupliciter accipitur, vel ſecundùm eſſe virtuale, quod res habent in virtute ſuę cauſę: vel ſecundùm eſſe indeterminatum, quod res habent in actu non determinato: et hoc ſecundo modo partes in continuo habent eſſe potentiale; quia ſunt in potentia ad actum totius.*

3. *Cùm infinitę partes continui non ſint ęquales vni aſſignatę; ſequitur eas non poſſe conſtituere actu infinitum.*

4. *Habere continuum partes infinitas in potentia, non intelligendum, quòd tales partes de nouo fiant per diuiſionem: ſed non poſſe illud diuidi in tot partes, quin in plures diuidi poſſit.*

5. *Partes in continuo, licèt cum connexione inter ſe, ſunt tamen diſtinctę, ante omnem deſignationem ab extrinſeco factam: ita vt accepta qualibet parte continui, illa erit diſtincta ab alijs: ab aliquotis et non communicantibus, tanquam id quod non includitur in altero; à proportionalibus et communi-*

municantibus tanquam includens ab incluſo: non tamen ſequitur terminari continuum vltimatè per diuiſionem: cum illę partes incluſę non poßint actu ſimul diuidi; nec habere eße determinatum.

CONCLVSIO III.

IN continuo dantur à parte rei indiuiſibilia & continuatiua & terminatiua.

COROLLARIA.

1 *Cum duplex ſit munus indiuiſibilium in continuo, terminare et continuare: primum exercent poſita in extremis partibus, quę vlterius non extenduntur, nec continuantur cum alijs: alterum exercent circa partes quarum vna extenditur ad aliam: ita vt reſpectu ſingularum partium ſecundùm ſe habeant munus terminandi: reſpectu vnius vt protenditur ad aliam, continuandi.*

2. *In quantitate permanenti diuerſa ſunt indiuiſibilia: reſpectu lineę puncta: reſpectu ſuperficiei lineę: reſpectu corporis ſuperficies: at in ſucceßiua tantùm vnius generis ſunt indiuiſibilia; videlicet inſtantia in tempore, et mutata eße in motu.*

3. *Punctum eſt indiuiſibile ſimpliciter, quia neq; ſecundùm longitudinem, neq; ſecundùm latitudinem, neq; ſecundùm profunditatem diuidi poteſt; idq; de inſtanti et mutato eße intelligendum: linea autem*

et superficies sunt indiuisibilia secundùm quid, videlicet linea secundùm latitudinem et profunditatem, superficies tantùm secundùm profunditatem.

4. *Jndiuisibilia continuatiua, non solùm munus habent terminandi partes terminatione partiali; sed etiam vniendi illas immediatè, tanquam vniones illarum.*

5. *Cum continuum componatur ex indiuisibilibus non tanquam ex partibus integrantibus sed tanquam ex vnitiuis et terminatiuis: sequitur falsam fuiße opinionem antiquorum, continuum componi ex solis indiuisibilibus,*

CONCLVSIO IV.

INdiuisibilia tam cõtinuatiua quã terminatiua sunt entia positiua, ad prædicamentum quantitatis vel per se, vel reductiuè pertinentia,

COROLLARIA.

1. *Jndiuisibilia aliqua prout dicunt propriam extensionem, sunt per se species quantitatis, sed prout indiuisibilia sunt, reductiuè pertinent ad quãtitatem, tanquam complementa alterius speciei quãtitatiuę: punctum verò tantùm reductiuè ponitur in prędicamento, tanquam terminus positiuus continui.*

2. *Indiuisibilia non dicunt solam negationem vlterioris extensionis, cùm terminent non negatiuè*

sed

sed positiuè, secundū situm et ordinem resistentem penetrationi; et facientem contactum positiuum.

3. *Indiuisibilia non dicunt partes ipsas cum connotatione negationis: cùm id quo formaliter fit contactus, neque sit formaliter ipsa negatio connotata, quia sic tāgeretur in nihilo: neq; ipsę partes connotantes, quia sunt diuisibiles; diuisibile autem non iungitur diuisibili extra manendo.*

4. *Indiuisibilia non dicunt ipsam formalem vnionem partium: quod manifestum est in ipso indiuisibili terminante.*

5. *Quamuis indiuisibile sit positiuum; tamen additum parti non facit maius; sed immediatè secundùm se totum sequitur partem.*

CONCLVSIO V.

Indiuisibilia quantitatis continuæ realiter distinguuntur à partibus integrantibus.

COROLLARIA.

1. *Quamuis indiuisibilia realiter distinguantur à partibus; cùm tamen ex ratione sua formali sint formę essentialiter vnientes et terminantes: et se ipsis vnitę partibus: non sunt ab illis separabilia.*

2. *Indiuisibilia hôc solùm distinguuntur ab vnionibus modalibus, quòd vniones modales ob identificationem*

tionem modalem se penetrent cum extre[illegible]s vnitis, indiuisibilia non se penetrant cũ extremis, sed solùm adhęrent, et vniuntur vnione adhęsionis: cùm hęc vnio non sit formalis sed continuationis et terminationis.

3. *Licet continuatio intrinseca sit de essentia continui respectu partium ex quibus intrinsecè constat: continuatio tamen extrinseca respectu partis coniunctę, non est de essentia alicuius extremorum: sicut vnio formalis, licet sit de essentia compositi, non tamen est de essentia materię vel formę.*

4. *Partes lineę distinguuntur à punctis coniunctis adęquatè, per entitatem propriam partium, in qua includuntur alia puncta: à singulis verò inclusis per suas partes inadęquatè: cum totum resultans includat entitatem partium, et punctorum.*

5. *Cùm in continui diuisione in infinitum procedatur: vt non potest deueniri ad partem non compositam seu non continuam: ita non possunt designari omnia puncta, et omnes partes, quę adęquatè inter se distinguantur.*

Sub felicibus auspicijs
Magnifici ac Clarissimi Domini,
D. LAVRENTII SMIESZKOWIC,
Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, in Academia Crac.
Studij Generalis Vigilantissimi
RECTORIS.